

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quonam pacto Constantij funere elato exercitus Constantinum Augustum  
salutauerit. Cap. XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

spetum venit. Eodem momento patris Constantij vitæ exitus in acie nouaculæ, ut dicitur, constituit. Postquam autem filium ex insperato adesse vidit, exiliens cubili, illum complexus est, atq; illud quod sibi iam vitam edituro solum tristitiam attulerat (filij nimirum absentia) se ex animo iam eiecisse, afferuit: precesq; propterea, cum gratiarum actione Deo obnixè fudit. Iam verò morte pluris prope, quam immortalitatem æstimare se dixit: ac tādem familiam suam resq; vniuersas ordine dispensauit. Atque in medio filiorum pariter & filiarum ipsum, instar chori, vndique cingentium, se statuens, & in ipsa regia, inq; regio cubili decumbens, regni hæreditate filio, quæ reliquos ætate anteibat, communi lege naturæ tradita, decessit è vita.

*Quoniam pacto Constantij funere elato exercitus Constantinum Augustum salutauerit.*

CAP. XVI.

**N**EQUE tamē propterea imperium imperatore destitutum permanxit: quippe Constantinus paterna pura inditus, primum è paternis ædibus egressus est, & patrem, tanquam à mortuis ad imperium regendum denuò reuocatum, suo ipsius vultu & effigie omnibus representauit: Deinde magna paternorum amicorum turba, eum comitante, funeri præiuit, patremq; produxit: quinetiam populi infinita multitudine, militumq; constipanti agmine partim antecedentium, partim subsequentium, genitorem sanctissimum cum omni splendore & maxima pompa extulit: Faustis acclamationibus, suavi hymnorum concentu, omnes beatissimum illum celebrant: & consentientibus animis filium iam in imperij gradu locatum, patrem ad vitam quodammodo reuocasse existimant. Extemplo igitur secundo & prospero applausu nouum regem, imperatorem & Augustum ipsa prima voce contentius, prædicant. Quibus acclamatiōibus tam auspicatò in filium editis, patri mortuo non nihil ornamenti allatum est: filium cuncti beatum putant qui talis patris fuit successor declaratus, omnes gentes, quæ ipsius obsequabantur imperio, incredibili læti-

Gg tia

EVSEBII DE VITA

ta efferuntur, & gaudio pene inexplicabili propterea complentur, quod illustri & praeclaro imperatore, ne breuissimo quidem temporis momento caruissent, hunc morum vitæque pie & religiose ad virtutem institutæ exitum esse, in imperatore Constantio vniuerso generi mortalium, qui nostra memoria vixerunt, Deus evidenter monstrauit.

*Interitus tyrannorum compendiaria commemo-  
ratio. C A P. XVII.*

**F**inem autem vitæ aliorum, qui Dei ecclesias bellico quodam more & modo exagitarint, minimè consentaneum iudicavi, quem praesenti sermoni mandarem: neque bonorum memoriam, eorum appositione, qui secus se gesserint in vita, omnino debere cōtaminari. Rerum enim experientia, illis solum, qui ipso oculorum obtutu calamitates cuiusque tyranni aspexerint, quiq; earundem cognitionē auribus acceperint, satis videtur esse ad vitam modestius deinceps sanctiusque moderandam.

*Quod diuino consilio Constantinus imperium con-  
sequutus fit. C A P. XVIII.*

**S**ic igitur Constantinum talis parentis satu editum, principem & imperatorem, Deus omnium author, & totius mundi gubernator, suo solum arbitrio delegit: eo consilio, ut cum alijs omnes imperatores hominum suffragiis ad eum dignitatis gradum ascendere consuerint, de hoc imperatore solo ad honorem efferendo, nemo mortalis omnino gloriaretur.

*Constantini, de Barbaris & Britannis victoriæ.  
C A P. XIX.*

**I**Taque ut primum fuit in regni solio tuto locatus, imperij portioni, quam rexisset pater, studiose prospexit: commodisque omnium gentium, quarum dominatum pater antè tenuisset, summa cum humanitate & clementia assiduè consuluit. Omnia autem Barbarorum